

PALMAE SOLIS ALMAE

4.

Alae laetae

Sub alis fuscis crescentes umbrae
mox noctescentes
donantes Lunam roscidam
fatigatae cicadae
se praecipitant

in murmur maris

Tamen ocelli argentei stellarum
vigilantes supra cacumina
loquacium undarum
latas alas donant
avibus caeruleis.

5.

Calco viam

In umbra tua tantum lucem video
et oculi mirabilium pleni
oculos tuos sentiunt
In formositate tua semper ebrius
tantum flores in palmis habeo
et calco viam cantans saepius...

6.

In corde vespertino

Cadentes umbrae in sinum vocant crepusculi
expergiscentes vespertiliones
Volantes et stridentes
atri et nigri stridoribus allicientes
oculos matris inquietae
cuius filii cum Marte proficiscentes
in longinquitate regionis alienae
cantant carmen nunc sanguineum
Cadentes umbrae
et pulsationes campanarum
in corde matris oriuntur
atras visiones cruentium beluarum
Cadentes umbrae et risus Martis
et risus Mortis
in corde vespertino solae matris.